DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIII.

PONTIFICEM MAXIMUM

A JOANNE THOMA LOMBARDI

Patritio Genuensi

ET COLLEGII CLEMENTINI CONVICTORE.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

M. DCC. XXVII.

Superiorum permissu.

786

Digitized by Google

Sanctissimo Patri

BENEDICTO XIII.

PONTIFICI MAXIMO

JOANNES THOMAS LOMBARDI
FELICITATEM.

Licèt plurimis, iisdemque maximis argumentis, BEATISSIME PATER, me ad singularem Clementiam Tuă pertinere intellexerim; reliqua tamen Tua in me unum merita vel hoc ipso ornare Te voluisse percipio, quod mihi de Augustissimo TRI-

Digitized by Google

NITATIS *Myſterio dicenti faciles aures præbuiſti. Eâdem igitur, quam modò expertus ſum, indulgentiâ tuâ fretus, Orationem meam, quæcunque illa demum ſit, Tibi ſiſtere non modò non erubeſco, verùm etiam, qua humanitate omnes ad Te accedentes complecteris, illam excepturum eſſe confido. Hoc ſiquidem tot inter animi Tui, atque adeo præclara bona veluti eminere cognoſcimus, quod in altiſſimo dignitatis faſtigio conſtitutus, humilia reſpicere non dedignaris: quum, ſecurus magnitudinis Tuæ, optimè noveris, quibus nihil ut creſcere poſſint reliquum eſt, eos vel hoc uno majores fieri, ſi ſe ipſi ſubmittant, ac veluti ad inferiores curas*

deſcen-

descendant. Hinc nihil omnino negligens, quod summum Sacerdotiū decere putas; nullis parcens laboribus; nihil abjectionis metu contemnens; ita Te generis humani felicitati devovisti, ut nihil de Tua incolumitate sollicitus, præclare admodum vixisse dicas, si vitam ipsam aliorum saluti impendisse contingat. Sed quum negare, BEATISSIME PATER, *non possis quantum naturâ, & moribus Tuis inter omnes unus excellas, audire tamen recusas: nec sane est, in quo Tibi displicere magis vereamur, quàm virtutes Tuas recolendo, quibus laudes amplissimas promereris. Hoc nihilominus sive felicitati sæculi nostri, sive etiam nostræ erga Deum pietati per*

Te licere ſperamus, ut, recurrente fauſtiſſimo inaugurationis Tuæ tẽpore, Chriſtianæ Reipublicæ gratulemur: ne religiosè nimium voluntati Tuæ obſequentes, aut commoda noſtra ignorare, aut erga ipſum tot bonorum largitorem Deum parum grati eſſe videamur. Quæ quidem bona quum omnia ſalute Tua augeri poſſe ſperemus, in qua ſalus publica continetur, ſolemnia vota pro Te Deo Optimo Maximo nuncupabimus, ut virtutibus tantis diutiùs nobis frui poſſe permittat. Cæteris interim, quæ in me, PATER BEATISSIME, contuliſti, ne quid ultra optandum relinquas, hoc unum mihi largiaris enixe rogo, ut benedictione Tua auctus a Te, cumulatuſque diſcedam.



ORATIO.

QUOD oculus non vidit, BEATISSIME PATER, nec auris audivit; quod Synagoga non credit, nec ſapit Philoſophia, ineffabile TRINITATIS arcanum, abſconditum a ſæculis, & generationibus, Eccleſia Catholica intelligit, manifeſtum eſt Sanctis. Hoc fidei & profeſſionis ejus, qua Chriſtiani ſumus, caput eſt: hoc uno veluti fundamento ſtructura Catholicæ religionis exurgit. Tantum igitur, tamque inauditum Myſterium nobis,

1. Corinth. 2. 9.

D. Hilar. 8. de Trinit.

Coloſſ. c. 1. 26.

D. Hilar. ibid.

Coloſſ. ib.

Petavius Præfat. To: 2. de Trin.

Eph. 1. 19.

bis, in diſpoſitione plenitudinis temporum reſervatum, nobis eſſe retectum, quantas cum gaudio, atque adeò attonita veneratione Deo Optimo Maximo & habere, & referre gratias debemus? qua ipſum demum proſequi benevolentiâ, qui nos in partem ſortis Sanctorum, in admirabile lumen ſuum vocare dignatus eſt? Non itaque ad ſcrutandum, ſed eloquendum, ut æquum eſt homini de naturæ lumine incomprehenſibilibus, ac divinis, timidi, & venerabundi accedentes, abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ ſapientiæ fumus abſcedat. Nonniſi quippe Deo revelante, tres unum dicimus Deum, ac ſentimus; cui una prorſus æternitas, una immenſitas, una trium perſonarum indiviſa in diſtinctis Divinitas: in qua quod eſt una, tres ſimul ſunt; nec plus aliquid ſunt duæ quàm una, & in ſe infinita, ſacroſancta, atque auguſtiſſima TRINITAS. Quum multis aucta quondam victoriis, terrarum, ac gentium domina, omnium Roma ſervi-

Coloſſ. c.1.12.

D. Leo Pa. ſerm. 7. de Nativ.

D. Fulgen. de fide ad Petr. c. 1.

Damaſcen. l. 1. c. 11.

D. Auguſt. l.6. de Trinit. c. ult.

D. Leo Pap. ſerm. 1. in natali Apoſt. Pet. & Paul.

ret

ret erroribus, ſuos, aliorumque Deos coluit: ſed quos tandem, niſi fictitios Deos? opera manuum hominum; qui omnes ad ſingula, ad omnia ſinguli impares, ordinibus, & officiis, nec non mundi partibus inter ſe diſtributis, ſuæ quiſque præeſſe putabatur: quum tanta Deorum multitudo omnia pervadere, adeſſe omnibus, omnia implere non poſſet. Noſtrûm verò quis non miretur verè credendo in unitate Trinitatem per omnia ſe diffundentem, in omnibus inhabitantem, ſuper omnia eminentem, omnia, nullius indigam opis, conficientem? Quis non miretur tres in ſe invicem Perſonas, ſine ulla confuſione commeantes, ut citra concretionem unitæ ſint, & ſine ſeparatione diſcretæ: ſingula in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia: adeò ut alter alteri inſidens nihil addat, nihil accipiat? Quod ſi ampliſſimæ felicitatis inſtar hoc ipſum meritò ducimus tantâ divinitus luce perfundi, ut quæ impervia ſunt Dei, & incomprehenſa, no-

Damaſcen. lib. 3. c. 5.

D. Auguſt. l 6. de Trinit. c. ult.

bis

bis percepta ſint, atque comperta: quantò profectò illud fortunatius, quod ineffabilem Trinitatem in mentibus noſtris, præcipuo quodam munere, quaſi in Templo ſuo inhabitare diſcamus, ut ſuâ præſentiâ ornet, ſuiſque cumulet donis? Quàm denique eximium illud, & quæcunque ſuperans vota, quod ipſe Sanctiſſimæ Trinitatis aſpectus, non amplius per ſpeculum in enigmate, ſed facie ad faciem nobis promittitur, quum apud eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus? Aperte ſiquidem tunc licebit aſpicere quomodo & unum dividue tria ſunt, & individue tria unum, quum videbimus eum ſicuti eſt, qui lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, cui honor, & imperium ſempiternum. Videre autem Deum quantæ ſit beatitudinis, quæ mens concipere, quæ lingua explicare valeat? Ut in nobis igitur hæc promiſſa ſolvantur, totis viribus contendamus. Studeamus hîc in fide ſtabiles, efficaces in opere, ſacroſanctæ Trinita.

Cornel à Lap. comment. ſuper Joan.

1. Corinth. 13. 2.

Joann. 14. 23.

D. Gregor. l. 30. moral.

1. ad Timoth. 6. 16.

S. Leo Pap. Homil. ſuper Videns Jeſus turbas &c.

D. Auguſt. meditat. c. 31.

nitatis myſterium, non tam colere, quàm amare; niſi enim eam diligamus, nunquam videbimus. Studeamus, inquam, tradita nobis recte vivendi præcepta ſervantes, optimis moribus abundare: ut poſtquam hac in regione umbræ mortis, noſtris in mentibus notaverimus Trinitatis creatam quodammodo imaginem, cujus impar imago eſt humana mens, ſed tamen imago, Trinitatem ipſam increatam per ineffabile gaudium æternæ contemplationis obtineat anima, atque intueatur. Tunc enim, Deus Trinitas, ſine fine dicemus unum laudantes te in unum, & in te facti etiam nos unum.

D. Auguſt. l. 8. de Trinit.

Iſaiæ 9. 2.

D. Auguſt. l. 10. de Trinit.

D Leo Pap. Homil. ſuper Videns Jeſus turbas.

D. Auguſt. l. 16. de Trinit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google